

# JUVENTUS

EPHEMERIS IN USIVI STUDIO STUDIOSAE

Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse

Laptulajdonos: Katolikus Középiskolai Tanáregyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, XI., Fehérvári-út 13. (tel.: 269-057).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction), ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR., Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 268-634).

Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Pretium subnotacionis an. 1941—42: 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chéque) postalis in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gentium unde pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international», appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit.

## Nuntii recentissimi.

Alexander Csoma de Körös, investigator<sup>1</sup> Asiae, humili loco natus est die 4 m. Aprilis a. 1784 in oppidulo Körös in Transsilvania, mortuus est die 11 m. Apr. 1842 in oppido Dardsiling. In collegio Nagyenyediensi ingenium eius magnum apparuit, quare a quibusdam fautoribus<sup>2</sup> in urbem Göttingam missus tres annos in Universitate Scientiarum discebat. Studiis finitis domum rediit, nam trans Russiam iter Hungarorum secuturus in Asiam vehi voluit. In Asia prima statio erat Bagdad, ubi linguam Persicam, deinde Anglicam didicit. Hinc in Tibet profectus est, ubi scripsit grammaticam et vocabularium Tibetense. Societas Asiana a. 1830 eum inter socios<sup>3</sup> ascivit. Laborum suorum praemia noluit accipere, sic pecuniam quoque ex Hungaria acceptam remisit ad caput<sup>4</sup> Academiae Scientiarum augendum. Multa opuscula fructuosa<sup>5</sup> scripsit ephemeridibus Anglicis, et missionariis Anglis liturgiam, psalmos<sup>6</sup> et libros sacros in linguam Tibetensem convertit. Ex urbe Calcutta, ubi diu morabatur, in oppidum Lhassam profectus est, ut in bibliotheca lamae Dalaensis originem Hungarorum investigaret, sed in itinere concessionem lamae exspectans aegrotare incepit.

et in oppido Dardsiling febri intermittent (= maliā) mortuus est. Lectum morientis Chambell et nonnulli Angli circumsteterunt. Societas Asiana monumentum sepulcrale ei posuit, quod etiam tabulā memoriali Hungaricā ornatur. Opera omnia eius Hungarice Theodorus Duka edidit.

Ioannes Tóth disc. Csurgonensis.

<sup>1</sup> kutató = Forscher = investigateur    <sup>2</sup> pártfogó = Gönner = protecteur    <sup>3</sup> tag = Mitglied = membre    <sup>4</sup> tőke = Kapital = capital    <sup>5</sup> ad discendum utilia    <sup>6</sup> zsoltár = Psalm = psaume

Saltatio<sup>1</sup> Vindobonensis<sup>1</sup> a Danuvio caerulo nuncupata, ab Ioanne Strauss, clarissimo musico<sup>2</sup> iucundae<sup>2</sup> auctore composita, cum ante 75 annos in concerto<sup>3</sup> musicali<sup>3</sup> a choro caneretur, non multum afuit, quin — probabiliter propter verba eius insulsa — caderet.<sup>4</sup> Sed ab auctore in modos symphoniacorum transpositum opus ubique tanto cum applausu ab auditoribus acceptum est, ut Ioanni Strauss cognomen «rex Vindobonensis saltationum» in-

<sup>1</sup> keringő = Walzer = valse<sup>2</sup> szórakoztató zene = Unterhaltungsmusik = musique légère<sup>3</sup> hangverseny = Konzert = concert<sup>4</sup> megbukik = durchfallen = tomber

Statua Alexandri Körösi Csoma in urbe Calcutta

Per.  
Lat  
020

deretur. Cuius operis popularitatem claritatemque nulla alia opera ab eodem composita, sc. saltationes (Fabulae ex silva Vindobonensi, Soni vernales) necnon comoediae musicae (Vespertilio,<sup>5</sup> Nox Venetiana, Baro Cingarorum) superaverunt.

A. Weber, disc. Schol. Piarum Bp.

<sup>5</sup> Denevér = Fledermaus = Chauve-souris



Sepulcrum Al.-i Körösi Csoma in coemeterio Dardsilingensi

**Nuntii bellici.** Vere ineunte etiam tempus appropinquit, quo Germani cum sociis iterum summā vi impetum in hostes facient. Interim Angli libertatem pollicendo Indos impellere conantur, ut contra Japonios arma capiant, qui in dies magis magisque ad Australiam Indiamque versus invicti procedunt.

**Nuntii radiophonici.** Comoedia *Plauti*, quae inscribitur *Mostellaria*,<sup>1</sup> nuper Budapestini radiophonice acta est. *Iosephus Révay*, qui hanc comoediam aptissime in Hungaricum converterat, ingeniose praeludio interludioque quasi margine<sup>2</sup> actionem ita explevit, velut si *transmissio<sup>3</sup> localis<sup>3</sup>* huius comoediae die 9 m. Apr. a. 194. a. Ch. n. Romae primum actae esset. Idem Ios. Révay radiophonice de bimillennio Liviano iucundissime disseruit. — Socius noster *Adalbertus Pányi* magister Hunfalvyani Cassoviensis, utilissimam recitationem radiophonice habuit de hac quaestione: «Quomodo liberis nostris linguae exterarum gentium discenda sint.» Recitator etiam de lingua Latina disserens IVENTUTIS quoque nostrae mentionem fecit, quae Horatii illud «Utile dulci» sequens efficit, ut discipuli linguam Latinam libenter discant.

**Nuntii varii.** Collegis nostris illustribus, *Coloman Radványi*, moderatori ephemeridis «ZÁSZLÓNK» 40 annos iam expletis, nec non *Iosepho Révay*, moderatori ephemeridis «TÜKÖR», cuius centesimus iam fasciculus nuper in lucem prodiit, de hac laetabili sollemnique occasione amicissime gratulamur. Ad multos annos! — *Ioannes Pruszinszky* rector stud. sup. emeritus amicus latinitatis egregius, octogenarius<sup>4</sup> a pristinis discipulis — nunc iam magna ex parte primoribus civitatis — sollemniter celebratus est. — *Antonius Kiss Szabó* nos de spectaculo<sup>5</sup> vespertino<sup>5</sup> in urbe Hajdúbőszörmény nuper edito certiores facit, cuius programma etiam discipuli *Bocskayani* ludo pastorali ditaverunt.

<sup>1</sup> kísértet = Gespenst = revenant    <sup>2</sup> keret = Rahmen = cadre    <sup>3</sup> helyszíni közvetítés = Hörbericht = radio reportage    <sup>4</sup> 80 annos natus    <sup>5</sup> est(ély) = Abendvorstellung = soirée

## loca Aprilia.

Convertit *Aladarus Kővári* (Kaposvár).

Mensem gemmandi<sup>1</sup> Romani a verbo aperiendi appellabant Aprilē, id est aperientem. Hunc mensem mythologia Veneri, deae ruris reviviscentis atque amoris consecravit. Secundum enim mythum amicus deae, pulcherrimus iuvenis Adonis pastor inter venandum ab apro necatus est. Venus tunc maerori desperato se dedidit, quo adducti dei concesserunt, ut Adonis solum autumnum hiememque apud inferos degereret,<sup>2</sup> ineunte autem vere ad amantem redire ei licet. Adventus Adonis mense ipso Aprili celebratus est. Fortasse ob huius ipsius mensis insolentiorem tempestatem sunt Kalendae Aprilis iam antiquitus dies iocandi et illudendi.

Rerum scriptores auctores<sup>3</sup> sunt<sup>3</sup> hunc quidem morem ab Oriente extremo divulgatum esse. Ex Indis hic mos ortus esse fertur, quibus *Hulilia*<sup>4</sup> nominata pridie Kalendas Aprilis celebabantur. Qui eo die ludibrio<sup>5</sup> habitū<sup>5</sup> sunt, iis nomen iocularē stultorum *Hulilium* dabatur. In Europa quidem ioci Aprilis iam antiquitus agebantur. Hoc enim tempore Celtae festum diem vernum nugatorium,<sup>6</sup> Graeci autem et Romani, nec non Iudaei diem desipientium<sup>7</sup> celebrabant.

Constat annum quandam in Europa Kalendis Aprilibus incepit esse, dum anno 1564-o Carolus IX., rex Francorum initium anni diem in Kalendas Ianuarias transferret. Homines illius aetatis strenam<sup>8</sup> suam e Ianuario in Aprilē, dein ex Aprili in Ianuarium inter se differebant plurimum risum moventes. Scilicet usu recepta erant illo tempore res ioci causā missa. Franci eum, qui ludibrio habitus est, vellicantes<sup>9</sup> piscem Aprilē nominant. Siquis autem percontatur, cur homo supradictus potissimum<sup>10</sup> piscis appelletur, Franci respondent: «Quia piscis animal stultissimum est. Quod quidem falso putatur, nam alii vocabulum *poisson* a vocabulo *boisson*<sup>11</sup> ductum esse confirmant.

Is qui decipitur, in Italia *calendrio*, in Hollandia *april gek* nominatur. Dani cursu Aprili certant, Slavi vero *adipis*<sup>12</sup> *culicum*<sup>12</sup> emendae gratiā mittunt se invicem in tabernam<sup>13</sup> medicamentari.<sup>13</sup>

Aliquando Petrus Magnus caesar Russorum totam urbem suam principalem ioci causā induxit.<sup>14</sup> Kalendis enim Aprilibus nocte ante Petropolim cumulum ligni ingentem accendi iussit. Fulgore longinquō rubescente senes iuvenesque urbis cum urnis dolisque<sup>15</sup> aqua repletis ad ignem extingendum confertim effundebantur. Milites excubantes<sup>16</sup> his verbis excipiebant venientes: «Hodie sunt Kalendae Aprilis!»

Scoti inductis nomen *gorok* imponunt, quod cuculum<sup>17</sup> et simul fatuum<sup>18</sup> significat. Anglis Scotisque mos receptissimus est «ovem agitare»

<sup>1</sup> rügyfakadás = Knospen treiben = bourgeonnement  
<sup>2</sup> eltött = zubringen = passer    <sup>3</sup> tanusága szerint = verbürgen = au témoignage de    <sup>4</sup> dies festi nomine *Huli*  
<sup>5</sup> ápriliat járatnai kvível = jmd. in den April schicken = envoyer à qn un poisson (= piscis) d'avril    <sup>6</sup> iocosum  
<sup>7</sup> bolond = Narr = insensé    <sup>8</sup> újévi ajándék = Neujahrsgeschenk = étrenne    <sup>9</sup> csipkelődve = sticheln = piquer  
<sup>10</sup> éppen = vornehmlich = de préférence    <sup>11</sup> potio    <sup>12</sup> szúnyogzsír = Mückenschmalz = graisse de culex    <sup>13</sup> gyógyszertár = Apotheke = pharmacie    <sup>14</sup> ugrat, megtrésál = anführen = faire un tour à    <sup>15</sup> hordó = Fass = tonneau  
<sup>16</sup> custodientes    <sup>17</sup> kakuk = Kuckuk = coucou    <sup>18</sup> stultum

vel «stultum captare», id est tempus<sup>19</sup> locumque<sup>19</sup> constituere<sup>19</sup> cum aliquo, sed ad constitutum non venire. Alii ambulantes de via clamant familiaribus suis obviam venientibus: «Luto<sup>20</sup> est aspersum os tuum!» Gravissimi quoque eorum huius modi nugis decipiunt se invicem, deinde deceptos irrident eisque nomen gorok vel «stultus m. Aprilis» dant. Sed lex non scripta est, ut ob haec ioca nunquam succensere liceat.

Anno 1798.-o ultima hebdomada m. Martii per vicos atque in actis diurnis Londinii haec sunt promulgata: «Post hosce octo dies horā duodecimā pompa<sup>21</sup> singularis procedet ad abbatiā<sup>22</sup> Westminstrensem, viri feminaeque grandi natu, vidui viduaeque, liberi, mariti et qui<sup>23</sup> uxorem<sup>23</sup> repudiaverunt,<sup>23</sup> uxores et quae<sup>23</sup> repudiaverunt<sup>23</sup> maritum.<sup>23</sup> Ad processionem unusquisque civium hac promulgatione invitatur.» Loca abbatiae circumiacentia die dictā plurima multitudo replevit, etiam fenestrae hominibus refertae erant. Subito aliquis tumultuantium exclamat: «O stultos mensis Aprilis!» — quo impulsa multitudo ridens indignataque statim discessit ad suam quisque domum. *Finis sequetur.*

<sup>19</sup> találkozót adni = sich ein Stelldichein mit jmdm. geben = donner rendez-vous à qn. <sup>20</sup>sár = Kot = boue <sup>21</sup> processio = apátság = Abtei = abbaye <sup>23</sup> elvált = geschieden = divorcé(e)

### Certamen corrigendi.

Qui hanc fabulam mendosam a quodam discipulo edendi causā scriptam optime correxerint, praemio ornabuntur. Terminus corrigendi: Calediae Iuniae.

**De nauta et mercatore.** *Quisdam mercator olim nautam interrogavit, quomodo patrem mortum esse. «Naufragio quadam hauriebatur in mare, — respondit nauta senex — immo etiam avus et proavus hauriebantur in aqua.» — «Et tu non times in mare navigare?» interrogavit mercator. — «Antequam respondeam, — dixit nauta — etiam ego te aliquot rogo. Dic mihi, ubi patrem tuum mortum esse.» — «In lectulo, — respondit ille — etiam avus et proavus in lectulo morti sunt.» — «Et tu — dixit nauta ridens — non times in lectulo tuo dormire?»*

### Petőfi: Nox silens est...

*Nox silens est, nox tranquillitatis,  
Caelum lunā stellis lucidum;  
Oculorum caerulorum virgo,  
Quid facis tu nunc, decus meum?*

*Occupant dulcissimi me somni,  
Exsommis sed cerno somnia,  
Somnus quisque est illustre regnum,  
Cuius lumen tu es, lux mea!*

*Utinam o nunc furari possem,  
Cum sit furtum turpe vitium!  
Ex thesauro somnorum, furarer,  
Ditaturus verum miserum!*

*Vinc. Bors Szegedinensis.*

### Ludovicus Áprilys: Vere.

Versus dactylicos pulcherrimos solutā oratione latine redditit dr. Gisela Lakatos, uxor dr. Ladislai Barthā (Mezőtér).

In vallo naves pueriles fert nivis tabes, fumat in luce tectum fuscum. In longinquam terram avis orba levis proficiscitur moticilla.

Frons in occulta fagi gemma — sicut pullus in ovi putamine — curiose hiscit. Et quasi campus cantet hilarus, tintinnabulum tam laete sonat.

Proficiscor, intellego, iam scio, movet me, ad vocat seges germinans: cor tuum laceratum, detritum, tintinnabulum adfer, sine mora adfer!

### Narratiunculae musicae. (2)

Ex libro *Iulii Fodor* convertit *Vinc. Gombár* Bp.

**Claritas.** <sup>1</sup>Richardus Wagner Coloniae<sup>2</sup> Agrippinae<sup>2</sup> concentum<sup>3</sup> edidit.<sup>3</sup> Die concentus symphoniaci<sup>4</sup> militares ad deversorium, ubi Wagner habitabat, venerunt et matutinum<sup>5</sup> symphoniae<sup>5</sup> cantum<sup>5</sup> ediderunt. — Credo! Claritas nominis mei! Tantā observantiā<sup>6</sup> lacrimae sunt fere motae Wagnero. Neque se continere potuit, quin ad forum decurseret.

Magister<sup>7</sup> symphoniacorum<sup>7</sup> Wagnerum pro concentu maximas gratias agentem vultu nihil mutato audivit, deinde: «Quis tu es? — interrogavit.

— Richardus Wagner sum.

— Aha! Siccine! Etiam tu Richardus es?

Nunc iam intelligo — dixit magister symphoniacorum. — Matutinus symphoniae cantus non ad tuum honorem est a nobis editus, sed ad honorem alterius cuiusdam Richardi, et quidem domini Plötzl, ducis<sup>8</sup> bellī; <sup>8</sup> ipse quoque hoc in deversorio habitat. Putasne nos ad honorem togati<sup>9</sup> viri cuiuslibet concentum edere? ! ?

Et improbans<sup>10</sup> renuebat.<sup>10</sup>

<sup>1</sup> hírnév = Berühmtheit = célèbrité <sup>2</sup> Köln = hangversenyez = konzertieren = donner un concert <sup>3</sup> zene = Konzert = koncertieren = donner un concert <sup>4</sup> zenekar = Musikkapelle = orchestre <sup>5</sup> reggeli zene = Morgenmusik = musique du matin <sup>6</sup> figyelem = Ehrerbietigkeit = respect <sup>7</sup> karmester = Kapellmeister = chef d'orchestre <sup>8</sup> vulgo = generalis <sup>9</sup> civilis <sup>10</sup> rosszalónan csóválja a fejét = mißbilligend den Kopf schütteln = en signe de désapprobation hocher la tête



**Certamen<sup>1</sup> singulare<sup>1</sup> anno 1811.** Carolus Maria Weber maiore conventu virorum mulierumque comitante in ripa Tamesis<sup>2</sup> ambulabat. Rogatu conventū depromsít fistulam<sup>3</sup> quandamque cant-

<sup>1</sup> párbaj = Zweikampf = duel <sup>2</sup> Temze = Themse = la Tamise <sup>3</sup> fuvola = Flöte = flute

lenam eā cecinit. Mox conventui nonnulli militum<sup>4</sup> praefecti<sup>4</sup> Britannici obvii facti sunt iuniores aliquantulum violeti. Quibus conspectis Weber fistulam in sinu vestis reposuit.

Sed unus ex praefectis militaribus iurgium excitaturus: «Cur — inquit — fistulā canere desiisti?»

— Eādem de causā, quā incepi.

— Et cur incepisti?

— Quia cupidō<sup>5</sup> me<sup>5</sup> incessit<sup>5</sup> fistulā canendi.

— Nos vero cantum fistulæ audire cupimus. Nisi ergo fistulā canere perrexeris, te in flumen deiiciemus.

Gladii praefectorum minaciter concrepuerunt.<sup>6</sup> Cum etiam mulieres adessent, Weber melius fore putavit, ut praefectis militum cederet.

Sed cum fistulā canendi finem fecisset, in aarem praefecti insurrauit,<sup>7</sup> ut post meridiem diei sequentis in luco, qui Hyde nominatur, adesset.<sup>8</sup> Praefectus ad tempus constitutum aderat. Weber maniballistulam<sup>9</sup> in praefectum direxit et: «Tu me — inquit — heri fistulā canere iussisti, ego nunc mutuam<sup>10</sup> vicem<sup>10</sup> rependens<sup>10</sup> saltare te iubebo.»

Ita minacem se praebuit auctor operum musicorum, ut praefectus — licet invitus — saltationem quandam patriam maximeque decoram saltaret. Cum praefectus finem saltandi fecisset, Weber: «Nihil iam — inquit — inter nos debemus. Sed quocumque modo si vis, tibi satisfaciam».


— Satisfacere mihi non debes — respondit praefectus militaris. — Vir vere fortis et ingeniosus es. Ignosce mihi, quod te irritavi. Simus amici. Et dextras inter se iunixerunt.

<sup>4</sup> katonatisz = Offizier = officier <sup>5</sup> kedve kerekedik = Lust bekommen zu = il lui prend envie de <sup>6</sup> megcsörren = klirren = résonner <sup>7</sup> belesűg = zuflüstern = chuchoter <sup>8</sup> megjelenik = erscheinen = être présent <sup>9</sup> pisztoly = Pistole = pistolet <sup>10</sup> viszonásul = als Vergeltung = en revanche

## De hodierna vi<sup>1</sup> armigera.<sup>1</sup>

Dr. Georgius Lurz, Monacensis.

Hodierna vis armigera tres continent partes, quae sunt copiae terrestres sive exercitus, copiae meritoriae sive classis, copiae aëriae sive arma aëria. Quae hic sequuntur, ad primam partem pertinent.



Maximilianeum, sedes Societatis Latinae Monacensis, cuius dr. G. Lurz praeses est.

Exercitus totius minima pars, quae compositione sua satis est rei suis viribus gerendae, est divisio pedestris. Componitur hodierna, divisio

pedestris plerumque tribus regimentis pedestribus, una sectione<sup>2</sup> exploratoria,<sup>3</sup> uno regimento tormentario<sup>4</sup> levis unoque gravis armaturae, una sectione propulsandis<sup>4</sup> thoracibus<sup>4</sup> (sive curribus thoracatis), una battalione<sup>5</sup> munitorum,<sup>5</sup> una sectione renuntiorum<sup>6</sup> unitatibusque<sup>7</sup> subsidiariis.<sup>7</sup> Huc accedunt officia a tergo ad rem, subvehiculariam,<sup>8</sup> sanitariam, veterinariam,<sup>9</sup> administrativam pertinentia.

Pedestre regimentum constat e praetorio,<sup>10</sup> renuntiorum agmine,<sup>11</sup> equitum aut sclopetariorum<sup>12</sup> birotis<sup>12</sup> motoris<sup>12</sup> instructorum<sup>12</sup> agmine, pedestri munitorum agmine, tribus battalionibus, una pedestri compagnia<sup>13</sup> tormentis<sup>13</sup> ornata,<sup>13</sup> una compagnia thoracibus venandis columnaque<sup>14</sup> pedestri expedita.<sup>14</sup>

Battalio pedestris constat e praetorio, munitorum gradu,<sup>15</sup> tribus companiis sclopetarii, una compagnia, quae sclopetis<sup>16</sup> machinalibus<sup>16</sup> utitur, impedimentisque proeliantibus necessariis i. e. quinque culinis castrensisbus, uno curru sauciis recipiendis, singulis plaustris ad instrumenta et armorum fabri et munitorum portanda. Gravia arma battalionis non in omnibus terris paria sunt. Tres quattuorve ordines sive decuriae efficiunt agmen, tria quattuorve agmina compagniam. Ordo sive decuria igitur infima est exercitus totius unitas.

Officiorum<sup>17</sup> sunt quattuor classes: 1a) locumtenens,<sup>18</sup> medicus assistens, veterinarius; b) locumtenens superior, medicus superior, veterinarius superior; 2) capitaneus,<sup>19</sup> magister equitum, medicus<sup>20</sup> praetorii,<sup>20</sup> veterinarius praetorii; 3a) maior,<sup>21</sup> praetorii medicus superior, praetorii veterinarius superior; b) colonellus<sup>22</sup> locumtenens,<sup>22</sup> campimedicus superior, campiveterinarius superior; c) colonellus, colonellus medicus, colonellus veterinarius; 4a) generalis<sup>23</sup> maior,<sup>23</sup> generalis medicus, generalis veterinarius; b) generalis<sup>24</sup> locumtenens,<sup>24</sup> generalis praetorii medicus, generalis praetorii veterinarius; c) generalis peditum (equitum, tormentariorum, munitorum, thoracatorum, renuntiorum), generalis superior praetorii medicus, generalis superior praetorii veterinarius; d) generalis<sup>25</sup> colonellus;<sup>25</sup> e) generalis<sup>26</sup> campimareschallus.<sup>26</sup>

<sup>1</sup> véd- v. haderő = Wehrmacht = force armée <sup>2</sup> felderítő különítmény = Aufklärungsabteilung = détachement d'éclairage <sup>3</sup> tüzér = Artillerist = Artillerie <sup>4</sup> páncél-elhárító = Panzerabwehr = contre blindage <sup>5</sup> utásszászlólj = Pionierbataillon = bat. de génie <sup>6</sup> híradó = Nachrichten = d'information <sup>7</sup> kiegészítő egység = Ergänzungseinheit = unité complémentaire <sup>8</sup> utánpótlás = Nachschub = renfort <sup>9</sup> állatorvosi = Veterinär = vétérinaire <sup>10</sup> vezérkar = Stab = état-major <sup>11</sup> szakasz = Zug = peloton <sup>12</sup> motorkerékpároslövész = Kra(ftra)d-schütze = tirailleur motocycliste <sup>13</sup> (ágýús) tüzér-százasz = Geschützkompanie = compagnie d'artillerie <sup>14</sup> könnyű oszlop = leichte Kolonne = colonne légère <sup>15</sup> osztag = Staffel = section <sup>16</sup> gépfegyver = Maschinengewehr = mitrailleuse <sup>17</sup> tisz = Offizier = officier <sup>18</sup> hadnagy = Leutnant = lieutenant <sup>19</sup> százados = Hauptmann = capitaine <sup>20</sup> törzsorvos = Stabsarzt = médecin-major <sup>21</sup> órnagy = Major = commandant <sup>22</sup> alezredes = Oberstleutnant = lieutenant-colonel <sup>23</sup> vezérőrnagy = Generalmajor = général de brigade <sup>24</sup> altábornagy = Generalleutnant = général de division <sup>25</sup> vezérezredes = Generaloberst = colonel-général <sup>26</sup> tábor-nagy = Généralfeldmarschall = maréchal de camp

# LECTORIBUS MINIMIS

## Jocosa.

1. Discipulus dicit magistro: «Pater meus iussit me interrogare, libenter ederes anserem<sup>1</sup> domine magister.» Magister adnuit.<sup>2</sup> — Paucis diebus post magister discipulum interrogat: «Quid agit<sup>3</sup> anser?» Discipulus respondet: «Interim anser sanus factus est.»

2. Magistra grandis<sup>4</sup> natu<sup>4</sup> puellis explicabat, quid tempus praes, praeteritum, futurum significaret. Deinde interrogavit: «Quod tempus est, si dico: pulchra sum?» Una ex puellis maligne respondit: «Praeteritum.»

3. Magistro interroganti: «Quid gravissimum factum est anno p. Cr. n. 1918?», respondit quidam discipulus: «Hoc anno natus sum.»

4. Magister hanc quaestionem discipulo ponit: «Pater tuus proficiscitur Romā ad Neapolim versus et facit singulis horis iter 5 chilometrorum. Patruus<sup>7</sup> tuus abit horā post et singulis horis viam<sup>8</sup> 6 chilometrorum carpit<sup>8</sup>. Quaeritur, ubi ambo inter se conveniant?» Puer respondet: «In cauponā.»<sup>9</sup>

5. Tabernae<sup>10</sup> sutrinae<sup>10</sup> alumnus<sup>10</sup> cenam accipit frustum<sup>11</sup> carnis<sup>12</sup> assae,<sup>12</sup> quam ob rem lacrimas effundit. Sutor interrogat eum, cur float. Puer respondet: «Doleo, quod tam minimi frustuli causā bos magnus caesus est.»

*Jul. Holpert disc. gymn. Cisterc. Bp.*

<sup>1</sup> liba = Gans = oie    <sup>2</sup> igenlőleg bólint = bejähend zunicken = faire signe de la tête    <sup>3</sup> hogy van? = wie geht es? = comment il se porte    <sup>4</sup> koros = bejahrt = âgé    <sup>5</sup> rosszmájúan = böswillig = malicieusement    <sup>6</sup> fontos = wichtig = important    <sup>7</sup> nagybátya = Onkel = oncle    <sup>8</sup> iter facit    <sup>9</sup> kocsma = Gasthaus = taverne    <sup>10</sup> cipészinas = Schusterjunge = apprenti cordonnier    <sup>11</sup> falat = Bissen = bouchée    <sup>12</sup> sült (hús) = Braten = rôti

1. Magister: Discipuli dicite mihi, unde veniat ros<sup>1</sup>! — Classis tota tacet solus parvulus Ioannes laete respondet: «Orbis terrarum valde cito versatur, itaque sudat?»<sup>2</sup>

2. Magister: Quando opportunissimum est tempus ad poma<sup>3</sup> carpenda?<sup>3</sup> — Discipulus: Cum dominus et canis non sunt domi.

3. Parvulus filius obtectis oculis stat ante speculum.<sup>4</sup> Mater: Quid facis, Ioannes? — Ioannes: Specto meam faciem. — Mater: Quomodo? Cur oculos obtegis? — Ioannes: Quia specto, qualis sim dormiens.

4. Iudex: Non pudet te? Iam vicesimum stas hic ante iudicem. — Reus: Domine iudex, tu hic agis totam vitam, tibi tamen ego nihil obiicio.<sup>5</sup> — 5. Magister: Dic mihi, Iohannes, quot sint 7×7 (septies septena?) — Ioannes tacet. — Magister: Nescis? Tum dic ei tu, Demetri! — Demetrius: Quaeso, domine magister, cum eo non colloquor, nam irascor<sup>7</sup> ei.

*Ioannes Csopej  
disc. gymn. Russinorum Munkaciensis.*


1. Ladislaus in urbe ambulans forte amico ignoto obviam<sup>8</sup> it,<sup>8</sup> a quo ita salutatur: «Salve Ladislae! Ex<sup>9</sup> mille annis te non vidi. Quomodo vales?» Postquam collocuti sunt, ignotus vale dicit et abit. Ladislaus diu cogitat, sed nescit, quis ille sit. Postremo dicit sibi: «Ex mille annis me non vidi, ergo ille forsitan Arpadus Dux est!»

2. Quinque simii<sup>10</sup> in arbore sedebant: pater, mater, filius, avus,<sup>11</sup> avia.<sup>11</sup> Stultitia parvi simii omnibus aliis notissima erat. Aliquando tam horrida procella<sup>12</sup> orta est, ut simii de arbore decidarent. Cum procella furere desiit,<sup>13</sup> simiolus exclamavit: «Hercle, octo sumus!» Cur octo dixit simiolus?

Quia nesciebat numerare.

*Daisy Szijjas disc. Angelani Bp.*

<sup>1</sup> harmat = Tau = rosée    <sup>2</sup> izzad = schwitzen = suer    <sup>3</sup> gyümölcszedés = Obst pflücken = cueillir des fruits    <sup>4</sup> tükör = Spiegel = miroir    <sup>5</sup> vándlott = Angeklagter = accusé    <sup>6</sup> szemére vet = vorwerfen = faire des reproches    <sup>7</sup> haragszik = zürnen = être fâché    <sup>8</sup> találkozik = begegnen = rencontrer    <sup>9</sup> óta = seit = depuis    <sup>10</sup> majom = Affe = singe    <sup>11</sup> nagyapa, nagyanya = Großvater, Großmutter = grand-père, grand'mère    <sup>12</sup> szélvész = Sturmwind = ouragan    <sup>13</sup> megszűnt = aufhören = ne plus



Navis submarina in receptaculum litorale redit.

## Carmina popularia Hungarica.

Latine reddidit dr. Ios. Tóth (Pestszentlőrinc).

1.\* *Dicor dari meae columbae haud unquam,  
Dicor dari meae columbae haud unquam:  
Magis dor alteri  
Sex boves et nigram mastrucam habenti.*

*Sed spectat leniter mea me voluptas,  
Sed spectat leniter mea me voluptas;  
Si mi det osculum,  
Certe non mutem bis sex bovibus illum.*

2.\* *Abii pulchrā patriā,  
Clarā parvā Hungariā.  
Respexi de flexu viae,  
Fluunt oculis lacrimae.*

*Deus, da iam hospitium,  
Fastidio exsilium,  
Sum in terris peregrinis  
Diu noctuque flebilis.*

3.\* *Videbo mox diem eam:  
Flens praeteris domum meam,  
Postem portae amplecteris,  
Cuius dominum deflebis.*

*Videbo mox diem eam:  
Flens praeteris domum meam,  
Cum tacere prorsus nolim,  
Loquar, sed non sicut olim.*

\*Ad melodiam: <sup>1</sup> Azt mondják nem adnak engem galambomnak, <sup>2</sup> Elindultam szép hazából, <sup>3</sup> Megérem még azt az időt.

## Precatio Hungarica novissima.

Campana meridiana ubique in Hungaria pulsatur. Hic sonitus campanarum virorum fortissimorum Albae Graecae (=Bellogradiensium) commonefacit nos. Reminiscamur etiam herorum viventium, Hungarus enim iterum pugnat. Defensio salutis suae dedit ei arma in manus, quae ille fortiter accepit. Pro finibus patriae vita militis Hungarici in summo periculo est. Supplicemus pro iis et pro iis, quos domi relictos amat. Oremus Deum, ut arma bona Hungarica et vitam carissimam Hungaricam defendat.

*Éva Kékesi et Veronica Wohl disc. Veresiani Bp.*

**De audacia viri ingeniosi.** Dionysius, tyranus Siciliae, hospes<sup>1</sup> in poësi fuit. Aulici<sup>2</sup> adulantes<sup>3</sup> versus, quos tyranus iis libenter recitabat, admirabantur. Solus Philoxenes, vir doctus, diligens veritatis, versus tyranni reprehendere<sup>4</sup> audebat. Tyrannus ob hanc irreverentiam<sup>5</sup> irā incensus Philoxenem ad remum<sup>6</sup> publicae<sup>7</sup> triremis<sup>8</sup> dedit<sup>9</sup>. Post amici Philoxenis iram regis lenivere et missionem<sup>10</sup> poëtae impetraverunt. Dionysius eum denuo ad cenam vocavit, et aliquando iterum novum carmen suum recitans Philoxenum invitavit, ut sententiam de versibus suis diceret. Tum vir doctus et ingeniosus sine ulla mora se ad praetorianos<sup>8</sup> vertit et : «Ducite me, inquit, denuo ad remum !»

<sup>1</sup> műkedvelő = Dilettant = amateur    <sup>2</sup> udvaronc = Höfling = courtisan    <sup>3</sup> hízeleg = schmeichel = flatter    <sup>4</sup> kifogásolni = tadeln = blâmer    <sup>5</sup> tiszteletlenség = Respektlosigkeit = manque de respect    <sup>6</sup> gályára küldte = schickte auf die Galeeren = condamna au galères    <sup>7</sup> szabadonbocsátását = Freilassung = mise en liberté    <sup>8</sup> testőr = Leibgardist = garde du corps

**De fodinis<sup>1</sup> auri<sup>1</sup> Transsilvaniae.** Aurum Transsilvaniae iam a Romanis fodiebatur. Sedes celeberrima fodinarum<sup>1</sup> aurariarum<sup>1</sup> in valle Abrud erat, locus autem amplissimus et florentissimus rei metallicae<sup>2</sup> Alburnus Maior, qui nunc Verespatak dicitur. In quodam monte huius regionis cuniculi<sup>3</sup> et antra inventa sunt, in his autem tabulae ceratae, quae indicia<sup>4</sup> iucunda<sup>4</sup> de vita et opera metallorum<sup>5</sup> Romanorum continent. E viginti quinque tabulis ceratis apparel oppidum hodiernum Verespatak profecto loco Alburni Maioris situm esse, et in hac regione Pirustas e Dalmatia ortos metallicos claros iam a Traiano imperatore deductos<sup>6</sup> laboravisse. Tabula cerata ultima anno CLXVII-o p. Chr. n. scripta est, itaque hoc anno tabulae in antris conditae sunt, certe inter tumultus bellorum contra Marcomannos Marco Aurelio imperatore. Fodinae auri Romanae etiam in Offenbánya, Vörösbánya et in monte Arina erant; ceterum in fluvio «Aureo» («Aranyos») etiam aurum lavabatur. Sedes administrationis metallorum<sup>1</sup> auri<sup>1</sup> in Zalatna fuit, quod Ampelum a Romanis nominabatur, et nullum auri metallum habuit. Procurator<sup>7</sup> aurariarum ab saeculo secundo dignitatem ministri habebat; conductores<sup>8</sup> metallorum collegium aurariorum<sup>9</sup> constituebant.

*Dionysius Kövendi (Kunszentmiklós).*

<sup>1</sup> aranybánya = Goldgrube = mine d'or    <sup>2</sup> bányászat = Bergbau = exploitation des mines    <sup>3</sup> aknák =

Minen = mines    <sup>4</sup> érdekes adatok = interessante An-gaben = indications intéressantes    <sup>5</sup> bányász = Berg-arbeiter = mineurs    <sup>6</sup> letelepít = ansiedeln = établir    <sup>7</sup> director = bérlo = Pächter = fermiers    <sup>8</sup> aranybányászok = Goldbergleute = mineurs d'or

## LECTORIBUS MAIORIBUS

### Vivum Latinum.

**Ludi scenici Latini.** Hoc quoque anno fecimus ludos scenicos Latinos in societate discipularum. Iam pridem magno cum ardore animi comparavimus fabulam agendam, cuius materiam ex Aeneide, opere Vergilii sumpsimus. Viribus unitis studuimus illa hora brevi et magistris carissimis et amicibus nostris voluptatem afferre. Doleendum est, quod imaginem luce pictam vestes antiquas ostendentem non misimus, quam propter tempestatem belli ad spectacula minus idoneam parare nequivimus. Praeter tres fabellas, quae inscribuntur: 1. Neptunus. 2. Troiani Carthaginem adveniunt. 3. Allecto. declama-tiones diversae et cantus Horatii variabant actionem nostram. *Margaretha Bella disc. Angelani Scarabantini.*



Die 28. Februarii anno D. 1942.  
post diuturnam infirmitatem placide in Do-mino obdormivit

### R. P. D. VALENTINUS FEHÉR

Monachus et Presbyter Congregationis Hun-garicae Ordinis S. Benedicti aetatis suae anno 50. professionis 28. sacerdotii 25.

Animam dilecti confratris nostri suffragiis fraternis enixe commendamus ad paria cari-tatis officia paratissimi.

*Pie Iesu Domine dona ei requiem!*

#### Chrysostomus

archiabbas S. Martini de S. Monte Pannoniae, Praeses Congregationis Hungaricae.

### Librorum recensio.

**Plautus : A hetvenkedő katona.** (*Miles gloriosus*). Hárrom ezüst (Trinummus). Fordította Devecseri Gábor. A bevezetést írta Huszti József. Parthenon, 1942. Pag. 254. Pretium P. 7, 40. Habuerimus licet iam omnes fabulas a Gregorio Csíky Hungarice versas, sed eas iam obsoletas, et cultiori elegantiae minus congruentes. Maxime igitur nova interpretatione opus erat, quam Gabriel Devecseri unus ex excellentissimis neotericorum poëtarum suscepit et luculente absolvit. In Gabriele Devecseri, qui iam hymnis Homericis et Catulli carminibus in Hungaricum versis satis nobilitatus erat, poëta ingeniosus et philologus diligens felicem et opportunam coierunt societatem neque mirum est, si eius fabularum Plautinarum interpretatio prosperrime cessit. Est enim quamvis volubilis, tamen concisa et minime hiulca, ioca et lepores Plautinos sollerter et ita reddens, ne in trivii sordes et in facetas delabatur



neque nimis moderna, sed talis, quae Plauti ingenium redoleat, ut ita dicam sit Plautinissima.

Hanc interpretationem Iosephus Huszti, universitatis professor prosecutus est disputatione condigna, docta et ingeniosa, qua omnia scitu digna de Plauto comprehenduntur. Disputatur enim hic de Plauti vita, de fabula palliata, de Plauti fabulis, eorumque exemplis Graecis et horum contaminatione, de fabula palliata post Plautum, de Terentio, de fabulis palliatis litterarum orbis terrarum. Comparationem Plauti et Terentii tam eximie scriptam non memini me usquam legisse. Oratio disputationis est vegeta vigorisque plena, referta subtiliter et ingeniore animadversis et observatis, acute cogitatis, quae ex eius ingenio, cuius acumine maxime pollet, quasi scintillae mentis emicant et coruscant et tamquam flammantia fulgura in nocturnis tenebris res subito collustrant. Certe scio fore, ut hoc libro numerus fautorum et amatorum litterarum antiquarum non mediocriter amplificetur.

**Frideczky József**, Roma aeterna. Budapest, Sz. István-Társulat. Pag. 245. Prearium P. 4, 80. Hanc fabulosam narrationem legentibus tempora expanduntur, quibus res Romanae sursum deorsum versae lababant et nutabant. Romana tragœdia cito gradu ad exitum, immo ferale exitium properabat, ut tandem in illud, quod vocatur medium aevum, delaberetur. Caesares Romaniam desierant summam rerum regere. Roma devicta et eversa victrix Gothorum gens Romanis imperitabat.. Post Theodorici tolerabilia tempora et breve et fluxum Iustiniani in Italia regnum Totila duce Gothi Graecis expulsis tota Italia potiti Roma deleta palantes et latrocinantes hostiliter grassantur. Ubique strages occisorum, fames esurientium, desperatio omnium. Sed ex coelo atris nubibus obducto lux nova emergit: lux Christiana. Haec fere ista fabulosa historia narrantur. Personae autem, quae in hac narratione partes agunt, sunt quaedam certae, verae et historicæ, ut Theodoricus, Cassiodorus, Boëthius, I. Theodora, Belisarius S. Benedictius, aliae vero ut Theoporus, Glycera, Valeria ficticiae, verum et historicæ et commen-ticiae temporum suorum moribus assimilate sunt tanta historiae fide, ut scriptor libri fontes, ex quibus hausisset, indicaverit. Quamquam is ut dixi, se historicæ fidei addidit, tamen homines suco et sanguine vigentes ac vitam spirantes induxit, ut communis cernere et quasi digitis contrectare queas. Fabulandi mira iucunditas. Loca et rerum natura tanto vigore tamque vegetis coloribus tamque vivacibus efficacibusque pingendi delenimentis exprimitur, ut iucundissimi affectus in legentium animis et motus excentur.

Lectores libri ex lectione huius libri scientiam historiam et voluptatem haurient haud parvam. *L. Ács Bp.*

**Gondán Felicián dr.:** Magyar nemzeti összefoglaló irodalomtörténet napjainkig. VIII. bővített kiadás, Szentgotthárd, 1942. Szerző kiadása. Prearium P 2.80.

Liber auctoris de re litteraria Hungarica optime meriti in 92 capitibus complectitum conspectum totius rei publicae litterariae in Hungaria integra et in Hungaria Trianonica mutilata, in partibusque ejus abscissis sc. in Erdély, in Felvidék et in Délnémetér, et describit evolutiōnem specierum litterariarum, generisque hungarica arte dicendi. Praecipue nos delectantur imagines rotundae et vivae de spiritu christiano (cath. et protest.) rei litterariae Hungaricae, de sensibus familiaribus et poēticis populi Hungarici. Iuventutis sexus feminini vero vel maxime interest, quomodo capita de influxu animae femininae in poēsim Hungaricam epicam et lyricam et dramaticam auctor belle concinnaverit. — Librum in usu utriusque sexus iuventutis studiosae iam per triginta annos frequentatum, in nova editione sua reducem nos quoque lectoribus nostris commendamus eo magis, quia auctor partem tertiam pretii ad sodales pauperes hisce temporibus bellicosis adiuvandos iuventuti committit.

nn.

## AENIGMATA.

Solutiones aenigmatum numeri VI. (m. Febr.):

1. Roma locuta, causa finita. Mundus vult decipi, ergo decipiatur. — 2. Nefas, erit, fio, at, s. — 3. Filia 5 ova gallinacea et 4 anserina emit. Prearium est ovi gallinacei 4, anserini autem 6 nummuli. — 4. Carina, Acamas, Lucani, Parcae, Africa. — 5. Manus, Manes, canes, cades, cedes, pedes. — 6. Neces, noces, voces, voves, boves. — 7. Metus, ritus, Ilias, iuxta, stola: Tarquinius. — 8. Dico, laudatio, intra, sint, migro, Martius: Sic transit gloria mundi. — 9. Num, Ida: Numida. — 10. Inimicus, Lupercal, advocere, ablegare, infantis, tumultus, Horatius, potestas: Iuventus. — 11. Novis, ovis, vis, is, s, os, ros, Iros, viros. — 12. *Ad libram*: 1. Mendacem oportet esse memorem. 6. In. 7. Ire. 8. Oderep (peredo). 10. Milo. 12. Beo. 13. (R)etu (uter). 14. Ae. 15. Recurrit. 17. Eure. *Ad perpendicularum*: 1. Mi. 2. En. 3. Dido. 4. Are(a). 5. Cerberus. 8. Olucam (maculo). 9. Ee. 11. Ite. 14. Ares. 16. Ire.

Aenigmata recte dissolverunt: I. Mosonyi (*Giselanum*), Paulus Dobó (*Berzsenyianum*), Stephanus Molnár (*Madachianum*), Ladislaus Váradý (*Fayianum*), V. Árvay, Pr. Baráth, M. Barthá, E. Böhm, P. Cholnoky, H. Eckhardt, T. Elekes, L. Faust, I. Fáy, Cl. Göbler, V. Hoffmann, N. Horváth, S. Kálmán, Gr. Kerényi, M. Kertész, E. Kis, H. Korompay, Maria Kossaczky, E. Madocsay, G. Margittay, M. Pieke, S. Pollacsek, I. Ruitz, G. Schlosser, E. Soltész, E. Somogyi, M. Székely, A. Szibéth, Au. Turner, S. Vadászi, I. Vaszkó (*Szilágianum*), G. Moldoványi (*Verbőczyanum*), G. Marosszéký, C. Lesskó, M. Horváth, C. Madarassy, E. Szentendrey, G. Germán, M. Hunyor, L. Rakovszky, V. Szlávík, M. Révy, A. Fridli, S. Szalay, A. Ürményi, E. Bechne, M. Blandl, M. Dischka, E. Bánya, C. Bauer, I. Trombitás, E. Szál, A. Salamon, Maria Göntér, S. Mihályi, A. Takáts (*Angelanum*), fratres Mayer (*gymn. Archieg.*), E. Havas, St. Grósz, I. Kozma (*Scholae Piae*), Eva Brámer, S. Frank, J. Györgyey, Cl. Hajdú, E. König, E. Schlinger, C. Szécsi, E. Weisz (*Veresianum*), Ida Ajtay, M. Árvay, E. Bánkay, E. Battlay, E. Belle, M. Bókay, sorores Bolza, A. Bródy, M. Demkó, C. Dobó, M. Farkas, M. Frank, E. Gerő, E. Hajós, M. Hankovszky, E. Keresztes, S. Kéler, E. Kiszel, M. Kmety, E. Koloszár, L. Lippert, E. Jug, Miskey, A. Pálffy, C. Szabolcs, M. Szalay, U. Szesztopal, M. Wahner, M. Ziegler, S. Ruzicska (*Sophianum*), Z. Biró (*gymn. conf. Helv.*) *Budapestinenses*. — St. Berényi, A. B. Szabó, J. Bugyi, M. Csernák, Fr. Fekete, L. Falabú, Stephanus Garamvölgyi, V. Ibolya, J. Jancsó, J. Kárász, St. K. Nagy, Ae. Laukó, Fr. Magyar, E. Palásti, Zoltanus Pálfi, C. Pándy, S. Rácz, M. Rohla, L. Scherg, St. Szász, St. Udvardi, Fr. Váczi, St. Vass, M. D. Vass, A. Zsoldos, J. Weinberger *Szentesienses*. Frid. Kreiner *M.-Cannissanus*. Franciscus Gyulai, E. Rafael *Claudiopolitani*. Liliana Aszódi, M. Balázs *Szolnokienses*. — Iosephus Kerék *Dombóvariensis*. Ludovicus Horti *Jászberényiensis*. L. Kazimir (*Fraterianum*) *Miskolciensis*. Antonius Kelbert, J. Schmidt, G. Tóth *Mohacsenses*. Elisabetha Kiss, E. Pintér, I. Sipos, M. Árth, M. Bölcsei, E. Schmidt (*Angelanum*) *Scarbantinae*. A. Horváth (*Klaузalianum*) *Szegedinenensis*. M. Böhm *Zalaegerszegiensis*. Zoltanus Laffers *Ginsiensis*. M. Csengery, Lenke Csurilla, M. Koch, M. Krajesik, J. Molnár, sorores Nagy, H. Pintér, V. Schág, Pr. Szinay, E. Tóth, I. Szabó, H. Csák, C. Gombos, H. Kántor, E. Bagossy, Cl. Kató, M. Török (*Szilágianum*) *M.-Varadinenses*. — Ladislaus Balogh, A. Berecz, St. Bolla, E. Boross, Z. Gaál, N. Hörömpöly, O. Pálos, J. Gerbemös (*Maurinum*) *Papaeenses*.

Crassis litteris indicantur, quibus praemia ab Societate Mag. Cath. Med. Schol. dono data sorte obvenerunt.

1—2. *Ad saltum equulei.*

cur-	scu-	un-	di-	mor-	hor-
in	Est	van-	trun-	in	Con-
la	cus	bu-	cum.	tis	ca-
ar-	dus	non		tra	est

cur-	scu-	un-	di-	mor-	hor-
in	Est	van-	trun-	in	Con-
la	cus	bu-	cum.	tis	ca-
ar-	dus	non		tra	est

Petrus Paulus Primaveri disc. Lucanensis (Helvetia).

3—4. *Quadrata magica.*

1	2	3	4
O	O	O	O
O	S	R	R
R	R	N	N
I	I	V	E

D	E	E	E
E	E	N	S
S	S	S	S
S	U	U	U

1. Decoro, exorno.  
2. Puto, credo.  
3. Comperi, certior factus sum.  
4. Litoribus.  
*Ladislaus Arany*  
disc. Verböczyani Bp.
- Omnipotens.  
Gladio (abl.).  
Usurpatio.  
Pronomen reflexivum.  
*Georgius Szabados*  
disc. Dombovariensis.

5. *Pyramis.*

1				
2	1			
3	2	1		
4	3	2	1	
5	4	3	2	1
6	5	4	3	2
				1

*Ilsa Mosonyi* disc. Giselani Bp.

6—7. *Rebus.*

G A L L I A

D u I

Frid. Kreiner disc. Sch. Piarum      Erv. Rafael disc. gymn.  
M.-Canissanarum.      Unit. Claudiopolitani.

8. *Acrostichum.*

• gregius	• oma	• anus	• alus
• igeo	• bur	• rucus	• tiam
• ana	• ostis	• eptunus	• aepe
• ddo	• nus	• bi	• oga

Si litteras initiales recte inveneris, proverbium notum accipies.  
*Antonius Miszlay* disc. Zrinyiani Bp.

9. *Numeris.*

8, 6, 2, 17, 10	Membrum corporis humani.
19, 20, 18, 15, 9, 10	Pars anni calida.
3, 13, 5, 16, 4, 10	Ramulus arboris praecisus.
1, 12, 12, 11, 16	Illinc, inde.
7, 19, 14, 6	Bestia parva aquatilis.

Litterae 1—20 proverbium notum dant.

*Bela Árkosi* disc. Cisterciensium Bp.

10. *Aenigma arithmeticum.*

Quomodo potest numerus 96 in 4 partes ita dividi, ut primae parti tribus additis, de secunda parte tribus deductis, tertia parte ter multiplicata, quarta parte divisa per tria: singulae summae additionis, deductionis, multiplicationis divisionis omnes pares inter se sint.

*Ern. Hidvégi* disc. gymn. conf. Helv. Bp.

Budapestini, ex officina consortii Stephanei. Negotiorum curator: Fr. Kohl jun.

11. *Ex sententias.*


- . . . . , para bellum.
- . . . . , tamen est laudanda voluntas.
- . . . a non lucendo.
- . . . temporis acti.
- . . . iacta est.

Litterae initiales harum sententiarum explendarum dic-tatorem Romanum fortunatum indicant.

Ervinus Gárdosi disc. Berzsenyiani Bp.

12. *Crucigrama.*

1		2	3	4
	■ ■ ■		■ ■ ■	
5				
6				
	■ ■ ■		■ ■ ■	
7		8		



1. Pronomen demonstrativum. 2. Vas. 3. Via sanguinis in corpore animalium. 4. Bestia utilis. 5. Numerus ordinalis. 6. Numerus cardinalis. 7. Bestia rapax. 8. Unica. — Litterae initiales octo vocabulorum, quorum littera extrema communis in centro posita est, rem nobis carissimam indicant.

Ern. Réti disc. Dombovárensis.

Nota. Lectoribus minimus: 1—8, mediis et maioribus 9—13. — Quisquis aenigmatum tot solvat, quantum potest. Etiam unum solum aenigma solventibus praemium petere licet. Discipuli eiusdem scholae solutiones a professore suo collectas in communi involucre epistulae ad moderatorem J. Wagner (Budapest, XI., Lágymányos-utca 20.) mittant.

Terminus solutionum; Calendae Iuniae.

## Epistolia officialia.

Mense Martio 47 socii et discipuli opusculis omnis generis revera me obruerunt, quorum ne dimidium quidem publicare possum. Quare omnes orantur, ne longa manu-scripta ad me mittant. — Die Iosephi et ante ferias Paschales multas gratulationes epistolasy salutatorias accepi, pro quibus caris nostris lectoribus sociisque gratias ago quam maximas. — M. A. Bencze, E. Gyopáros, M. Bella. Vobis, carissimae, singularis a me debetur gratia nec non laus vestrae humanitati litterarum tam pulchra latinitate scriptarum. Valete!